

Georg Detharding

## **Dissertatio Epistolica Qva Qvaestio: Cvr Ministri Verbi Divini Nigro Habitv Incedant? Disqviritvr**

Rostochii: Typis Adlerianis, [1749]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003402003>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 25. Febr. 1749

~~Pries, Joach. Henr.~~

*R.U.-theol 1749 Betharding, Georg*



3

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO EPISTOLICA

QVA  
QVAESTIO:

CVR MINISTRI VERBI DIVINI  
NIGRO HABITV INCEDANT?

DISQVIRITVR  
ET SIMVL

V I R O

SVMME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO  
ATQVE DOCTISSIMO,

D O M I N O

IOACHIMO HENRICO  
PRIES,

PHILOSOPHIAE DOCTORI FAMIGERATISSIMO,  
MORALIVM PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO LONGE CELEBER-  
RIMO ET AD AEDES DIVI IOHANNIS ET St. GORGII  
PASTORI FIDELISSIMO.

FAVTORI ATQVE PATRONO SVO SVMMOPERE  
COLENDO.

QVVM

I P S I

HONORES, PRIVILEGIA ATQVE IMMVNITATES  
DOCTORIS THEOLOGIAE

DIE XXV. FEBR. CIO IO CCXLIX.

DEFERRENTVR,

EX INTIMO ANIMI ADFECTV GRATVLATVR,

GEORG. DETHARDING,

S. S. TH. ET PH C.

ROSTOCHII, Typis ADLERIANIS.



1749.

V I R  
SVMME REVERENDE  
EXCELLENTISSIME ATQVE DOCTISSIME  
FAVOR ATQVE PATRONE  
SVMMPERE COLENDE!

**H**odierno die laetitiis quid & exoptatiis mihi vniquam obuenire potuisse, vix ac ne vix quidem mihi persuadere possum. Est enim dies, in quo TV, *Vir summe Reuerende*, summum doctrinae, gloriae atque honoris attingis fastigium. Dies, in quo praemia eruditionis TVAE, per tot annos, per tot labores, per tot lucubrationes TIBI comparatae, e manu Facultatis Theologicae accipis. TIBI enim hoc die dignitates, immunitates ac privilegia Doctoris Theologiae exhibentur, deferuntur & TECUM communicantur, quum istis omnibus iam longe antea dignus esses iudicatus. Quamuis tamen fortuna mihi tam fauens non fuit, vt ad tanti, quantus TV es, Gamalielis pedes veritates diuinas addiscere possem; tamen eximia TVA, qua polles, eruditio me TIBI reddidit obstrictissimum. Permite igitur, *Vir summe Reuerende* vt & ego hoc die testes laetitiae meae, nec non TIBI deditissimi animi specimen edam publicum. Accipias, quaeso, benigno animo & etiam vna vice scriptum aliquod mancum & imperfectum conicias oculos, quod nil aliud, nisi animum serui TVI deuinctissimi prae se ferre conatur.

CVR  
MINISTRI VERBI DIVINI VESTITV  
NIGRO INCEDANT?

§. I.

**D**e colore nigro ornatum sacro dicato verba facturus, nil aliud in-  
nuo, nisi quaestionem: *Cur Ministri verbi diuini potius ni-  
gro*

gro, quam albo incedant habitu? Sole ipso enim clarius est, emblema coloris albi plures sistere adfectiones, quam coloris nigri. Apertum etiam est & scriptores antiquitatum fide digni testantur, gentibus plerisque morem fuisse, colorem album vsui sacro destinare, nec concessisse illos, hunc colorem ad vsum profanum vsurpari. Varias inde apud diuersas gentes huius coloris existisse significationes, in aprico est. Erat e. gr. apud Romanos praerogatiua quaedam sui imperii & *potestatem* innuebat. SVE-TONIVS (a) inde testatur, Pompeium, quum fasciam gereret candidam, regnum adfectare creditum fuisse. Noto notior quoque est mos Regnum Britanniae, quod illi semper albis baculis, qui a Ministris, (suo idiomate: *the Officers off the white Staff*, (b) dictis) praeferuntur, in signum dignitatis vtantur. Eadem ex ratione etiam Reges Galliae in obsignandis mandatis ceram adhibent albam, & vexillis eiusdem coloris in bellis vtuntur gerendis, vt taceam liliis candidissimas. Color albus porro significabat *victoriam*. Id exinde patet, quia Romani triumphantes habitu induti erant albo, & in metis eorum victores hoc habitu se ab aliis distinguebant. Generatim color albus apud illos signum *boni*, niger vero signum contrarii erat euentus. Id patet ex eorum consuetudine reos damnandi & innocentes absoluendi. Factum id fuit per lapillos, de quo cecinit OVIDIVS (c).

Mos erat antiquus, niueis atrisque lapillis

His damnare reos, illis absoluere culpa.

Hinc adparet, colorem album apud illos felix auspiciatumque quid designasse.

## §. II.

Quid vero ad nos gentes exterae? Quum in ipso cultu Leuitico hic color magni fuerit habitus. Vestes nimirum Sacerdotum in כהן הגדול בגדי כהן הגדול vulgares גהב כהן הגדול aureas; & כהן הגדול לבן *albas* distinguebantur. De his vestibus scriptores de antiquitatibus hebraicis & nominatim BVXTORFFIVS (d) legendi sunt

(a) In vita Caesar. (b) BECMANN notit. dignitat. illustr. Diff. VI. Cap. II. § 9. pag. 173.

(c) Metamorph. Lib. XV. Fab. I. v. 41. 42.

(d) Hist. Vrüm. & Thumm. Cap. I. p. 271. 272.

funt. Caeteris missis, de vestibus albis, quibus Pontifex Maximus Iudaeorum semel quotannis die Xmo Mensis *Tisri* (e), quo sanctum sanctorum intrabat, utebatur, notandum est, quod fuerint peculiare peculiari vsui summi sacerdotis dicatae. Sunt vero Tunica talaris, femoralia, tiara, & baltheus, adeoque vestes quotidianae, quae tamen hoc singulare habuerunt, quod ex lino pelusiaco pretioso & candidissimo ante sollempnis expiationis diem de integro conficerentur & post dictum diem in templo, tanquam nullius in posterum vsus, deponerentur. (f) Notandum etiam est, quod Iudaei hoc ipso festo expiationis ex exemplo Summi sacerdotis albatu incederent, ut testatur citatus LVNDIVS (g) Hoc etiam adhuc obseruant Iudaei hodierni. Die scilicet Xmo mensis *Tisri* vnusquisque amictu suo, ferali nimirum albo, indutus alteri sua peccata confitetur & deprecatur. Quisque etiam Pater familias singulis suae familiae, habita tamen sexus ratione, singulos gallos albos & gallinas eiusdem coloris procurat, & pedibus haec animalia adripiens circa caput suum in gyrum versa trucidat. Quo facto ex Es. I. 18, adclamat: אִם-יִהְיֶה הַטּוֹב אִיכֶם וְגוֹ. credens, se sacrificium DEO gratum effecisse. (h) Quid aliud inde sequitur, ac, quod color albus ipsis sit [sanctus habitus?

### §. III.

Si alias gentes praeter Iudaeos consideramus, extra omnem dubitationis aream erit positum, colorem album fere apud omnes fuisse sacrum, in vsu scilicet sacrum adhibitum. *Graeciam*, ut alias sicco pede praeteream gentes, si spectemus, eius quoque sacerdotes albis indutos fuisse vestibus, legimus relatum. Hic mos num a PYTHAGORA vel discipulis eius, vel ab aliis originem suam trahat, alii disquirant. Hoc tamen certum est, teste CVRTIO (i) quod Macedonum vates amictu albo sit vaticinatus. Quid vero plura adferam testimonia, quum omnes & singuli fere Scriptores de Antiquitatibus graecis nos hac de re reddunt certiores. Ad Romanos quoadtinet, iam supra (§. I.) monitum est atque probatum, quod & apud illos color albus multum valuerit. [Sa-

(e) Lev. XVI. 29. XXIII. 27. XXV. 9. Num. XXIX. 7.

(f) LVNDIVS *Jüdische Heiligthümer* Libr. III. Cap. III. Libr. V. Cap. XIX.

(g) l. c. Libr. V. cap. 19. n. 16.

(h) BVXTORFF. l. c. & HOLBERG *Jüdische Geschichte* T. II.

(i) de rebus Alexandri M. Libr. IV. Cap. XVI.

cerdotes vero eorum cum ipsis auguribus, qui saepissime sacerdotibus adnumerantur, vestibus albis vfos fuisse, eorum docet historia. *Jouis enim, Herculis & Cereris festa albis indumentis celebrata fuisse, est in propatulo. Vnicum tantum addam testimonium de festo Cereris. Est illud OVIDII (k) de festo Cereris sequentem in modum canentis:*

Festa piae Cereris celebrabant annua matres,  
Illa, quibus *niuea velatae corpore veste*  
Primitias frugum dant spicea ferta suarum:

§. IV.

En! ergo fere omnes gentes colorem album vsui sacro destinasse, & magnificisse. Nil superest, vt quoque ostendam, in primitiua Ecclesia hunc colorem in sacris viguisse. Nil dicam, de Monachis *Camaldulensibus* (l) *Cartusianis, Humiliatis, Dominicanis, Praemonstratensibus, Templariis, Albatis* (m). Non attingam pallium archiepiscopalem ab aliis iam iam vberime descriptum. Sed de amictu & calceamentis albis *Neophytorum* Christianorum, nil addam nisi quod albati post acceptum baptismum tempore paschali antiquitus induiti inceserint. Et apud nos quoque mos est, infantes baptizandos albo induere vestimento, quod das *Wester-Hemde* vocamus. Sine dubio hoc ea propter fit, ad innocentiam sacerdotiumque spirituale indicandum.

§. V.

Vltimo loco subiungam quaedam Scripturae dicta, vbi color albus pro spiritualibus sumitur rebus. Sic e. gr. Psalm LI. 9. Remissio peccatorum cum colore albo comparatur, quando Propheeta regius his se exprimit verbis: *Expiato me byssopo vt mundus sim; abluito me, vt prae niue albescam.* Et Es I. 18. *Si fuerint peccata vestra velut dibapha, tanquam nix exalbescent; si rubra fuerint, velut coccineum, similia lanae erunt.* Sic etiam gloria aeterna & coelestis per *ambulare in vestibus albis* exprimitur, v. c. Apoc. III. 4. 5. DEI Filius Episcopum Sardiæ ita adclamat: *Habes tamen aliqua capita etiam Sardiis, quae non inquinorunt vestimenta sua, ideoque ambulabunt mecum albati; digni enim sunt. Qui vicerit, amictetur vestimentis albis.*

(k) *Metamorph. Lib. X. Fab. IX. v. 431. sqq.*

(l) A campo camaldulo sic dicti, qui perpetuo candidis, ob visionem scaelae, qua ex campo camaldulo in coelum homines candido amictu ascenderunt, vestibus studuerunt. Cfr HILDEBRAND. de relig. eorumdemque variis ordinibus. (m) Haereticis 1389, sine 1399 ortis.

Quantae igitur dignitatis est color albus! Quae vero sit ratio, cur non Verbi diuini Ministri hunc colorem in amictu suo retinuerint, in sequentibus examinabimus.

§. VI.

Colorem *nigrum* in locum albi successisse, quis est, qui negat? Sicut color albus a gentibus plerisque in usum sacrum fuit adhibitus, eodem modo color niger apud nos loco albi sacro ordini est destinatus. Vidimus enim omnes, qui munus ecclesiasticum administrant, veste nigra incedentes. Et quanti apud nos hic color aestimetur, exinde colligitur, quod plebs maiorem erga illum habeat reuerentiam, qui veste nigra, quam erga illum, qui veste alius coloris est circumdatus. Aliis vero gentibus nigredo, ut albedinis oppositum, signum tristitiae & fortunae est aduersae. Veterum enim quis atrum diem, nigras aues, coruos, nigros lapillos non metuit? Sic e. gr. Turcas, si fortuna aduersa illis obuenerit, hoc per nigras vestes significare, fama percepimus. Generatim vero color hic apud plerasque gentes ut & apud nos Europaeos funestum aliquid designat.

§. VII.

Quum tamen in superioribus vidimus, quod color niger nec DEO, quum cultum Leuiticum institueret, nec Idololatri fere omnibus placeat. Et nihilominus apud nos hic color pro sacro habitus & ordini sacro additus sit; haud incongrue disquirimus, unde factum sit, ut hic color hunc dignitatis gradum acceperit, Hoc quo adcuratius euadat & felicius, a primis religionis Christianae temporibus hunc morem deducemus. Omnibus ac singulis patet, veteres Philosophos, ut: *Pythagoraei, Stoici, Cynici, Socrates* &c. ut sanctiori & seueriori philosophiae studuerunt, ita se pallio quodam ab aliis distinxerunt. Hoc vero erat detritum, obsoletum, sordidum atque fuscum, non ut paupertatem innueret, sed ut signum abnegationis sui ipsius esset. Istos enim non tam pauperes fuisse, vitae illorum curriculum satis commonstrat. Docebant enim Philosophiam & omnibus Philosophiae studentibus abnegationem sui commendabant, i. e. ne opes atque diuitias, dignitates, honores & munera ambirent. Eam ob rem hoc illis incussit, ne partim in peccata proaeretica irruerent, partim vero, quo eo diligentius in philosophiam incumbere possent. Hunc morem pallium gerendi imitati sunt veteres Christiani, qui pro-

pter persequutiones, primis saeculis obuias, omnem nauabant ope-  
ram, ne diuites aestimentur. Et quum Philosophi fuscum prae-  
fertim sibi eligebant colorem, & his color fuscus erat sacer. Et  
Historia Ecclesiastica nos edocet, primos primorum saeculorum  
Episcopos veste fusci coloris indutos fuisse. Exempli loco esse  
potest TERTVLLIANVS, alter ex antiquis Haeresiologus proba-  
tae auctoritatis, qui eiusmodi pallio erat circumdatus, & quum a-  
mici eius illum reprehenderent, *apologiam pro pallio* conscripsit,  
quae huius rei testimonium adfert luculentissimum. Hunc colo-  
rem fuscum, vt sanctimoniam indicere debebat, ita postea, vt ar-  
bitror, plane in nigrum mutarunt, quo & peccata sua & miseram  
humanae vitae conditionem lugere, bonaque huius mundi, vt ca-  
duca & vana, spernere viderentur, & instauratores nostrae, Ecclesi-  
ae postea hunc colorem nigrum sacrum elegerunt.

### §. VIII.

Hocque, mea quidem sententia, modo factum est, vt a pri-  
mis inde temporibus color nominatus in vsum sacrum sit versus.  
Inde ortum est, vt Episcopi &c. Ecclesiae Lutherano euangelicae  
vestitu nigro incedant, qui habitus apud nos dicitur *venerabilis*.  
Et recte quidem. Nam artis heraldicae studiosi nobis haud  
persuadere possunt, quod nigredo nil aliud, quam *tristitiam* innu-  
at. Innuit plura, vt mox videbimus. Inuoluit enim *prudentiam*,  
*grauitatem* & *constantiam*, quia hic color nullo modo potest mutari.  
Porro est signum *poenitentiae* & *patientiae*, quia ex systemate *New-*  
*tonis* omnes radios solares recipit. Inde etiam fit, quod Reges  
Hispaniae, hoc colore maximi aestimato, neque Legato, neque a-  
liis secum colloquendi veniam dent, nisi nigris vestiti sint ve-  
stibus.

Atque sic iam pro viribus meis exiguis quaestionem: *cur*  
*Verbi diuini Ministri vestitu nigro incedant?* ad finem perduxit. Scio  
equidem perbene, me, quum in hoc scriptionis genere non tam  
exercitatus sim, multa in medium protulisse, quae vitii nomine  
venire possent. Sed condones ea *Vir summe Reuerende*. pro TVA  
beneuolentia, & consideres, quaeso, mihi tantum parum suppel-  
lectilis litterariae esse, vt adeo non plures euoluere possem libros,  
quem quos allegavi; Deinde etiam ob breue temporis spatium,  
quod mihi ob multa alia negotia vacat, non tam enodate, vt par  
esset, thema praesens disquirere potui, quod TVA eruditione  
esset dignum. Benignos ergo in illud coniicias velim oculos & co-

gites, me nil aliud, nisi gratum 'atque' TIBI deditissimum expri-  
mere velle animum, & minus congrue dicta in meliorem acci-  
pias partem.

Video etiam TE, *Vir summe Reuerende*, veste nigra ornatum;  
sed simul video, TE omnes qualitates quas innuit color niger ex  
asse possidere. *Prudentia, grauitas, constantia, tristitia & patientia*  
TIBI sunt propria; haecque adtributa in omnibus fere operatio-  
nibus TVIS, quas vt Minister verbi diuini suscipis, luculentissi-  
me ostendis. *Prudentiam* exhibes in compescendis litibus, quae  
in TVA Ecclesia oriuntur, egregiam & fere salomoneam. *Gra-  
uitatem* prae TE fers in omnibus actionibus TVIS sacris; graui-  
tatem in cathedra sacra; grauitatem in altari. *Constantiam* quod  
adinet, illa in omnibus TVIS actionibus praeuocet. Quanta con-  
stantia non vteris in perferendis afflictionibus, sine quibus fere  
nemo mortalium est & esse potest. Constantiam monstras in mo-  
nendo, adhortando, redarguendo, emendando, speciatim in prae-  
dicando poenitentiam & fidem. *Tristitiam* habes de aliorum pec-  
catis, quando ea luges & commiseratione propter eorum impoe-  
nitentiam tangeris intima. Tandem etiam *patientiam* exerces in  
perferendis malis TIBI obuiis, in portanda cruce TIBI a DEO im-  
posita. Quis ergo TE ipso hac veste nigra dignior est? Quis  
meliori iure hac veste vtitur, quam ipse TV, *Vir summe Reueren-  
de*? Sed quid opus est, vt plura adungam, quum omnes, qui  
TE norunt, mecum consentiunt. Ob TVA merita maxima et-  
iam hoc die TEcum honores Doctōris Theologiae communican-  
tur. Gratulor TIBI eos ex corde integerrimo. Maeste iis, qui-  
bus hodie exornatus es, immunitatibus & priuilegiis. Faxit DE-  
VS T. O. M. quem colis & cuius Minister es, vt TIBI omnia, quae  
moliris, eo modo succedant ex voto, quo haecenus. Conseruet  
TE sartum tectumque per diu; Conseruet vires corporis & ani-  
mi, quo, vt huc vsque, & succedente tempore DEO in gloriam,  
Ecclesiae, Patriae, Academiae huic Varniacae & TVAE gregi, TI-  
BI demandatae in emolumentum esse queas. Conseruet quoque  
familiam, quae TVA dicitur, splendidissimam in dignitatem hu-  
ius vrbs, quo & pronepotes & abnepotes nostri Viros exhibere,  
queant, qui TVI audiunt. Tandem & me fauore TVO non pla-  
ne iudices indignum. Ad me quod attinet, omnem mouebo la-  
pidem, ostendendi, quantus sim TVI nominis cultor deuo-  
tissimus. Vale!

\*\*

\*\*

\*\*





pter persecutiones, primis saeculis obuias, omnem nauabant operam, ne diuites aestimentur. Et quum Philosophi fuscum praefertim sibi eligebant colorem, & his color fuscus erat. Historia Ecclesiastica nos edocet, primos primorum saeculorum Episcopos veste fusci coloris indutos fuisse. Exemplum potest TERTVLLIANVS, alter ex antiquis Haeresiologiae auctoritatis, qui eiusmodi pallio erat circumdatus, & amici eius illum reprehenderent, *apologiam pro pallio* quaerit, quae huius rei testimonium adfert luculentissimum. Vestem fuscum, vt sanctimoniam indicere debebat, ita postea bitror, plane in nigrum mutarunt, quo & peccata sua & humanae vitae conditionem lugere, bonaque huius mundi & vana, spernere viderentur, & instauratores nostrae postea hunc colorem nigrum sacrum elegerunt.

### §. VIII.

Hocque, mea quidem sententia, modo factum est. In primis inde temporibus color nominatus in usum sacrum. Inde ortum est, vt Episcopi &c. Ecclesiae Lutheranorum vestitu nigro incedant, qui habitus apud nos dicitur. Et recte quidem. Nam artis heraldicae studiosi non persuadere possunt, quod nigredo nil aliud, quam *tristitia* significat. Innuit plura, vt mox videbimus. Inuoluit enim *grauitatem & constantiam*, quia hic color nullo modo potest. Porro est signum *poenitentiae & patientiae*, quia ex *systema* tonis omnes radios solares recipit. Inde etiam fit, quod in Hispania, hoc colore maximi aestimato, neque Legationibus secum colloquendi veniam dent, nisi nigris vestibus.

Atque sic iam pro viribus meis exiguis quaestio: *Verbi diuini Ministri vestitu nigro incedant?* ad finem perducere equidem perbene, me, quum in hoc sermone generatim exercitatus sim, multa in medium protulisse, quae vix venire possent. Sed condones ea *Vir summe Reuerendissime* beneuolentia, & consideres, quaeso, mihi tantum parum leuiter litterariae esse, vt adeo non plures euoluere possim quem quos allegaui; Deinde etiam ob breue tempus quod mihi ob multa alia negotia vacat, non tam enodatum esset, thema praefens disquirere potui, quod TVA esse esset dignum. Benignos ergo in illud conicias velim oc

